



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. Quinam habent potestatem concedendi Indulgentias?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

narua, qua tota pœna temporalis remittitur; & alia partialis, seu non plenaria, qua pars tantùm pœnæ remittitur. Hæc dicitur aliquando Indulgentia unius anni, vel plurium, vel 40. dierum; per quam scilicet tantum de pœnis remittitur, quantum remitteret Pœnitentia austera unius anni vel plurium, aut 40. dierum, secundùm antiquos Canones facta.

Q. 2. Quinam habent potestatem concedendi Indulgentias?

Resp. Papa potest jure divino Indulgentias qualescumque in tota Ecclesia concedere; cum supremus sit Vicarius Christi, & supremum caput visibile Ecclesiæ. Supremo autem Principi competit potestas dispensandi thesaurum communem sine limitatione. Episcopi verò in sua Diœcesi, & Archiepiscopi in tota sua Provincia possunt jure communi concedere, tantùm Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & in anniversario dedicationis, vel alia ex causa, dierum duntaxat 40. ex Conc. Gener. Later. 4. can. 62. Cardinales etiam non Episcopi dicuntur concedere Indulgentias 100. dierum ex Concessione Papæ, saltem tacita.

Not. Hæc potestas est jurisdictionis, non Ordinis. Hinc 1. potest competere, & delegari Clerico non Sacerdoti. 2. Indulgentiæ non possunt concedi, nisi subditis, c. 4. de pœnit. & remiss. uti ratio datur, quia sicuti à Judice non suo ligari nemo potest, ita neque absolvi. sunt

Possunt tamen exempti lucrari Indulgentias Episcopales, cum in eare favorabili possint se subicere jurisdictioni Ordinarii, ne quod in gratiam concessum est privilegium, in eorumdem dispendium cedat, ex Reg. 61. Jur. in 6.

Q. 3. *Quanam requiruntur ad lucrandam Indulgentiam?*

Resp. Sequentia. 1. Status gratiæ saltem, cum ultimum opus completur: quia tunc applicatur Indulgentia, quæ illum exigit; nam inimico Dei, quamdiu in peccato existit, nulla fit remissio etiam quoad pœnam temporalem. Quippe inimicus Dei, & reus pœnæ æternæ non est subjectum aptum, cui remittatur aliqua pœna; & nulla est promissio, nisi pro justo. Unde Indulgentia nunquam conceditur, nisi contritis & confessis, aut verè Pœnitentibus. Imò aliqui putant necesse esse, ut omnia opera in Bulla injuncta perficiantur in statu gratiæ. Sed alii communius docent sufficere, quòd benefiant animo verè Pœnitenti & sine affectu ad mortale: quia Pontifex in concessione non exigit, ut omnia opera præscripta fiant in statu gratiæ; & sine illo possunt esse utilia ad finem Indulgentiæ.

2. Omnia opera injuncta impleri debent integrè, in loco, & tempore, & ordine præscriptis: quia Indulgentia non conceditur, nisi sub hac conditione: qua proinde non impleta simpliciter nihil obtinetur. Et Indulgentia solum operatur, secundum intentionem conceden-